



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 3. Martyrum variæ laudes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

*Ex Novo, Patribus, & aliis.*

*Aurum.* Matth. 2. 11. Offerunt Doctores, Sapientiam: *ibis* Martyres, & Confessores: *myrrham* penitentes peccatores. Eusebius *laminis*. in Epiph. D.

*Plurima turba straverunt vestimenta* &c. Matth. 21. 8. Corpora humana dicuntur vestes animæ; quas plurima *turba* scilicet SS. Martyrum straverunt in via, morientes pro fide Christi. S. Vincentius Ferr. l. 3. in Palm.

*Equus rufus.* Apoc. 6. 4. aut effusi sanguinis symbolum est; aut inflammatum illorum affectum significat, qui mortem pro Christo operierunt. S. Andreas Cesar. l. 5. c. 14.

Vos de vinea Domini pingues racemi, & jam maturis fructibus botri, pressuræ secularis infestatione calcati, corcular vestrum carcere torquente sentitis. Vini vice sanguinem funditis, ad passionis tolerantiam fortes, martyrii poculum libenter hauritis. In carne adhuc licet vobis positus vita jam vivitur, non presentis sæculi, sed futuri. Ratio præceserat: ubi non nisi Dei præcepta, & Christi præmia, cogitantur, voluntas est illic tantum Dei. S. Cyprianus ep. 16.

Mundus vindemiarum ubertate lætatur; nos Sanctorum passione gaudemus: quæ quidem passio vindemiis comparanda est. Sicut enim varum expressione vinum funditur; ita & Sanctorum martyrii vice vitæ, sanguis effunditur nisi quod uva temporales fructus præbet, passio sempiternos. S. Ambrosius l. 73. de Nat. SS. Petri, & Pauli.

Pulchrum quidem, & integrum corpus fuerat (Jobi) multo verò venerabilius factum est ab illis vulnerebus infectum. Quoniam & laniata pulchra quidem, & antequam inficiantur: postquam verò purpureæ factæ fuerint, ineffabilem capiunt pulchritudinem, multumque decorem. Chrysof. hom. 5. ad pop. Antioch.

Purpura Lem: *Ex nece triumphus*. Picinelli. Laurus ramis ad signa triumphalia cæsa. Lem: *Cæsa triumphat*.

## §. II.

*Martyres comparantur rosis.*

*Quasi rosa plantata super rivus aquarum.* Eccl. 39. 17. *aquarum*, id est, lacrymarum, vel advenitatum. *Rosæ* sunt Martyres; quorum pulchritudinem in amore, & sanctitate, imitari debemus. S. Bonavent. l. 3. D. 7. Pent.

Aliter olet flos uvæ; quia magna est virtus, & opinio, Prædicatorum; qui inebriant mentes audientium. Aliter flos olivæ: quia suave est opus misericordiæ; quia more olei refovet, & lucet. Aliter flos rosæ: quia mira est fragrantia, quæ rutilat, & redolet, ex cruore Martyrum. S. Gregor. in Ezech. l. 1. hom. 6.

O beatam Ecclesiam nostram! quam sic honor divinæ dignationis illuminat; quam temporibus nostris gloriosus Martyrum sanguis illustrat. Erat antè in operibus fratrum candida; nunc facta est in Martyrum cruore purpurea. Floribus ejus nec lilia, nec rosæ defunt. S. Cyprianus ep. 9.

Salvete flores Martyrum, quos lucis ipso in limine Christi in securor sustulit; cœu turbo nascentes rosas. Prudentius.

Euchenius in formis allegor. ait: rosas esse Martyrii Hieroglyphicum; Martyresque coronari rosis, ob ruborem sanguinis pro Christo effusi.

## §. III.

*Martyrum variae laudes.*

*Vade popule meus, intra in cubicula tua.* II. 26. 20. q. d. Ite o Martyres, ad sepulchra; modicum ibi dormite, donec puniam impios. Cornelius hic.

*Dico autem vobis amicis meis?* &c. Luc. 12. 4. Servos suos dignatur vocare amicos tunc, cum ad martyrium eos accendit: ut intelligamus, presentis vitæ mala, tormenta, mortemque, parari amicis ejus; & talia esse amicitie ejus pignora. Cajetanus hic. Martyres dicuntur consanguinei Christi, quia sanguinem Christi miscuerunt cum sanguine suo. S. Vincent. Ferr. l. 2. D. 20. Pent.

*Vidi sub altare* &c. Apoc. 6. 9. Alluditur hic ad antiquum, & communem, Ecclesiæ ritum: quæ ex sanctione Felicis Papæ I. mandat, corpora Martyrum sepeliri sub altari; ut docent S. August. l. 11. de Sanct. Anselmus, Richardus &c. Quia Martyres immolati Deo instar holocausti, ut sepulchra eorum orantibus ad altare continuum essent excitamentum devotio-nis, virtutis, fortitudinis. Hinc Sacerdos accedens ad altare, & osculans dicit: oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquæ hic sunt. Sylveira hic. Convenienter, & quasi pro quodam consortio, ibi Martyribus sepultura decreta est; ubi mors Domini quotidie celebratur. Scilicet, ut qui propter mortem ejus fuerant mortui, sub Sacramento ejus mysterio requiescant. S. August. l. 73. in append. de diversis.

Stata est via prius spinosa, & pedibus Apostolorum contrita, facta lenior secururis. Quasi semine sanguinis impleta est Martyribus terra; & de illo semine seges surrexit Ecclesiæ. S. August. l. 39. de diversis.

Triumphus Dei est passio Martyrum, pro Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta lætitia. S. Hieronymus ep. 150.

Non ita siderum exornatum choro cœlum illustre est, ac splendido vulnere choro Martyrum corpora exornantur. S. Chrysof. Laudat. OO. SS. Martyrum.

Martyres, & Angeli, nomen tantum distincti sunt, factis autem junguntur. S. Chrysof. tom. 6. Laudatio omn. Sanctorum Martyrum.

Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur. S. Leo l. 1. in Nat. SS. Petri & Pauli.

Cur plerique Martyres gladio Deus obtruncari voluit? Respondet Oleaster in c. 40. Gen. Martyres suos Deus voluit pro majori parte decollari: quia ea mors nobilium esse solet.

## §. IV.

*Martyrum fortitudo, generositas.*

*Fasciculus myrrhe* &c. Cant. 1. 12. Sponsa Regem suum sponsam in accubitu suo videns, id